AUTHOR:

STALLBAUM, GOTTFRIED

TITLE:

DE ARTIS DIALECTICAE IN PHAEDRO PLATONIS

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1853

Master Negative #

91-80275-27

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Stallbaum, Gottfried, 1793-1861.
De artis dialecticae in Phaedro Platonis doctrina et usu.... Lipsiae, Staritzivs, 1853.
32 p. 22 cm.

"Commentatio qua Scholae Thomanae solemnia oratoria ... et publica discipulorum examina ... rite indicit ... Godofredus Stallbaumius ..."

Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 12
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 9-26-91 INITIALS M.B.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM


Association for Information and Image Management


1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

DE ARTIS DIALECTICAE IN PHAEDRO PLATONIS DOCTRINA ET USU.

COMMENTATIO

QUA

SCHOLAE THOMANAE

SOLEMNIA ORATORIA

DIE XXIII. M. MART. HORA IX. ANTEM.

ET

PUBLICA DISCIPULORUM EXAMINA

INDE A DIE IV. M. APRIL. PERAGENDA

RITE INDICIT

ATQUE

PATRONOS ET AMICOS REI SCHOLASTICAE

AD EA HUMANITER CELEBRANDA

MODESTE INVITAT

GODOFREDUS STALLBAUMIUS

RECTOR.

LIPSIAE MDCCCLIII.

IMPRESSIT GVILIELMVS STARITZIVS, TYPOGR. ACAD.

Scriptione nostra proxime superiore de Phaedro Platonis suscepta ostendere conati sumus, neque rhetoricam libri conformationem neque mythorum usum in eo ad illustrandos sublimiores quosdam philosophiae locos adhibitum talem esse, unde recte colligere liceat, quod critici quidam inde colligi voluerunt, opus celeberrimum non tam virili philosophi aetati quam eius adolescentiae assignari oportere. Sequitur ut similiter disquirendum sit etiam de dialecticis illius dotibus, quandoquidem inter argumenta, quibus viri docti iuveniles eius origines demonstratum iverunt, etiam hoc est, quod ars dialectica in ipso neque satis subtiliter informata ac descripta neque tam callide et perite ad praesentis disputationis usum revocata sit, quam Platonis, in philosophandi itinere iam longius progressi, mos et consuetudo postulaverit. Quod quidem indicium tametsi natura sua sic comparatum est, ut tum demum plane expendi posse videatur, si quis recens a libri lectione veniat recentemque rerum in eo disceptatarum notitiam ad iudicandum afferat, tamen vel sic non inutile futurum esse putamus totam rem peculiari disputatione explicare, quandoquidem de dialecticis operis sive vitiis sive virtutibus certe facilius statui et iudicari poterit, ubi quidquid eo pertineat tamquam in una tabula consignatum uno mentis obtutu

contueri licuerit. Itaque data hac scribendi occasione rursus ita uti constituimus, ut inchoatam disputationem profligemus ulterius atque eas dubitationes, quae de dialectica in opere nobilissimo vel descripta et adumbrata vel etiam factitata excitatae sunt, pro viribus componere conemur.

Duplici igitur nomine Phaedrus habita dialecticae artis ratione a criticis notatus atque reprehensus est, quo scilicet origines eius ad Platonis adolescentiam detrudi oportere efficeretur. Nam primum quidem illi dialecticam artem rationemque non ea subtilitate in illo descriptam et illustratam esse censuerunt, quam perfectior et elaboratior summi philosophi doctrina utique exegerit, idque tanto molestius aiunt legentibus accidere debere, quod universo operi denique nihil aliud nisi hoc unum potissimum sit propositum, ut artis dialecticae vis et natura aperiatur et quanta sit eius virtus in adiuvanda rerum cognitione luculentius demonstretur. Praeterea vero etiam ipsius usus atque exercitationis sollertiam in Phaedro perquam exiguam ac prope nullam reperiri arbitrati sunt, quandoquidem res in eo tractatae non tam subtilius exquirantur et in varias versentur partes, quam potius proponantur ac tamquam iam pertractatae atque aliunde cognitae in medium afferantur, quod certe aliquantum abhorrere existimant ab ea disserendi ratione, quam Plato annis maturioribus usurpare consueverit. Haec igitur vitia sunt, quae illi dialecticae nomine in libro nobilissimo notant; quorum quidem vitiorum caussas ubi sciscitamur, habent sane castigatores illi item quod pro sua sententia in medium afferant. Dicunt enim utriusque rei caussam denique inde repetendam esse, quod philosophus quo tempore Phaedrum litteris consignaverit, primum iuvenis ad philosophandum accesserit, ut recenti quodam mentis impetu ablatus nec animi sensus, tum quidem vividiores et alacriores, satis compescere

et rationis freno coërcere, nec disserendi artem, qua tum nova usus esse videatur, iusta prudentia et peritia moderari et ad rem praesentem prudenter attemperare potuerit. De quibus iudiciis ut taceamus alios, qui rem leviter tantum et quasi praetereundo attigerunt, inprimis iuvabit cognovisse, quae *Frider. Schleiermacherus* Prolegg. ad Phaedr. Opp. Platon. German. Vol. I. P. 1. p. 65. sqq. ed. sec. et *A. Bern. Krischius* in libro: *Ueber Platons Phaedrus* p. 134 sq. copiosius explicaverunt, ex quorum disputatione, quo certius perspiciatur ipsorum sententia, particulam saltem huc transscripsisse non erit inutile. *Schleiermacherus* igitur de his rebus p. 67. haec fere disserit: „*Späterhin würde Platon, je deutlicher sich ihm die Gegenstände der Philosophie offenbarten, und je mehr er durch alle seine Hervorbringungen auch die Methode ausübte und zu Ehren brachte, um so weniger sie selbst auf die Art, wie hier, zum Kern einer Composition von solchem Umfange gemacht haben. Ueberdiess bezieht sich die grosse fast vorlaute Freude an der Sache, welche schon an sich offenbar genug auf ein neu erworbenes Gut hindeutet, nur auf das Auffinden der ersten Grundsätze, und der Phaedrus beweiset weniger als ein anderer Dialog eine grosse schon erworbene Festigkeit in der Ausübung dieser Methode. Dagegen weiset er mannigfaltig auf die dem Philosophiren vorausgegangenen dichterischen Versuche des Platon zurück.*“ *Krischius* autem p. 135. inter alia sic scribit: „*Wo Sokrates* (im Phaedrus) *als Lehrer erscheint, kann sich die Neuheit seiner Methode nirgends verleugnen.*“

Haec igitur atque talia fere sunt eorum iudicia, qui etiam ex dialecticis in Phaedro vel explicatis vel usurpatis et ad disserendi usum adhibitis apparere existimaverunt, disputationem in eo agita-

tam manifesta iuvenilis ingenii signa et argumenta referre, ut totum opus iuveni philosopho acceptum referri existimandum sit. Quae quidem omnia quum duplicis potissimum generis sint, quandoquidem primum quidem dialecticae adumbratio ac descriptio in Phaedro exhibita dicitur rudis et vix inchoata esse, deinde vero etiam disserendi sollertia, quam alias in Platone admirari liceat, in hoc libro fere desiderari indicata est, facile apparet etiam disputationem nostram, quippe quae in his ipsis rimandis atque examinandis versatura sit, bifariam dividendam esse. Quaerendum enim ante omnia erit de dialecticae imagine ac descriptione, quam Plato in Phaedro exhibuerit, videndumque diligentius, quorsum ea spectet et quomodo comparata sit; deinde vero etiam illud erit considerandum, qualis tandem sit disserendi ratio in hoc sermone usurpata et cur ea talis videatur esse. Quibus exploratis tandem futurum esse speramus, ut non modo quid de dialecticis Phaedri virtutibus existimandum sit, sed etiam quid inde de universi operis originibus ac primordiis colligi liceat, aliquando clarius perspiciatur.

Itaque primum quidem consideravisse iuvabit, qua ratione Plato versatus sit in informanda dialecticae artis natura atque virtute, cuius pictura in hoc opere utique proposita est.

Et *Schleiermacherum* quidem si audimus, philosophus aetate maturiore vix talem dialecticae descriptionem exhibiturus fuerit, qualem in Phaedro exhibuit, praesertim quum huic operi id unum maxime sit propositum, ut vis et natura dialecticae omni ex parte dilucidetur pleniusque collustretur, inprimisque etiam illud ostendatur, esse eius vim et potentiam quum in omni rerum cognitione tum inprimis in artium liberalium diiudicatione atque conformatione longe maximam. De qua quidem re vir egregius copiosissime disserit Prolegg. ad Phaedr. l. c. p. 58. sqq. inprimisque p. 64. sqq. Itaque, si quid

iudicare possumus, duo sunt potissimum, quae isto modo ponuntur. Primum enim asseveratur, Phaedro hoc unum maxime esse propositum, ut natura atque virtus dialecticae in illustriore loco collocetur, siquidem non modo qualis ipsa natura sua sit, verum etiam quantum in rebus cognoscendis iudicandisque valeat, de industria doceatur. Deinde etiam hoc contenditur, expositionem ac descriptionem eiusdem illius artis, quam illuminare scriptor animum induxerit, adeo esse mancam et imperfectam, ut manifesta prae se ferat iuvenilis inertiae indicia neque adultioris aetatis prudentiae ac sapientiae ullo modo convenire existimanda sit. Quocirca nostrum erit, de utraque hac iudicii parte quid sentiamus, seorsum explicare. Est enim altera cum altera tam arcto vinculo nexa et colligata, ut nisi ante omnia de causa et ratione, cur de dialecticis explicatum sit, certius constiterit, nec de dialecticae descriptione et imagine certi quidquam in medium afferri posse videatur.

Et priorem quidem quaestionem hoc loco iuvabit ita tractavisse, ut pro consilii nostri ratione ea tantum dilucidentur, quae proxime ad rem praesentem pertineant. Nam de totius operis arte et compositione explicare et quo nexu omnes ac singulae eius partes inter se contineantur ostendere est sane res tantae amplitudinis, ut haud dubie peculiarem sibi deposcat disputationem. Satis igitur erit nunc paucis significasse, quid de summo ultimoque totius scripti consilio existimandum videatur, unde denique etiam de dialectica parte repetendum iudicium sit. Fatemur vero universae disputationis tanquam cursum ac veluti iter persequentibus nobis ita iam videri solere, ut neutiquam unam artem dialecticam esse putemus, ad quam denique tota scriptio referatur. Hoc enim ubi ita statuerimus, quum alia multa magnae erunt offensioni, quae quum subtili et copiosa disputatione explicata sint, tamen cum argumento primario non apte co-

haerent, tum illud inprimis molestum accidet, quod ista ratione admissa amor divinus, hoc est infinitum illud idearum cognoscendarum et quasi intuendarum studium animis nostris divinitus ingeneratum, unius dialecticae gratia illustrari et tanquam secundarium quiddam interponi putari debet; quod certe tanto minus est verisimile, quanto augustior atque grandior imago illius ac pictura est in hoc libro ob oculos posita. Nimirum nostro quidem iudicio res ita potius habet. Non illud tantum philosophus efficere voluit, ut in hoc libro perfecta quaedam omnibusque numeris absoluta dialecticae artis imago atque species expressa cerneretur, sed longe aliud quid sequutus est. Voluit enim omnino, ut iam alio loco significavimus, verum germanumque philosophiae principium declarare et tamquam ultimum atque summum eius recludere fontem, unde denique omnis manaret ipsius vis atque copia, etiam in vitae humanae studiis nobilitandis ornandisque elucens. Quod quidem quale sit aut quo iure ita existimemus, unicuique speramus perspicuum fore, ubi paullulum consideraverimus, qualem Plato philosophiae rationem animo informaverit.

Enimvero discessit ille hac in re longissime ab hominum nostrorum more et consuetudine. Neque enim philosophiam voluit esse doctrinam quandam ex certarum rerum scientia conflatam ac certo quodam ordine compositam, sed censuit eam, ipso nomine rem indicante, in uno sapientiae studio et in infinito quodam planeque inexplebili veri, boni, pulcri per se spectati et in se absoluti desiderio contineri, quo animi humani usque ad illud quaerendum, investigandum, amplexandum denique, incitarentur atque permoverentur. Nimirum rerum earum, quae per se ac vi sua constant, scientiam et cognitionem in unum tantum deum, utpote numen perfectissimum, convenire censuit; in homines natos cadere omnino negavit, quippe quorum eam esse iudicavit naturae infirmitatem atque imbecillitatem,

ut illarum praestantiam percipere plane atque perspectam habere nullo modo possent. De qua re praeter alios locos consuluisse iuvabit Phaedr. p. 278. D. et Parmenid. p. 134. O. Quocirca mortalibus nihil nisi veritatis cognoscendae studium et facultatem tribuit, ipsam veritatis scientiam et cognitionem eripuit; philosophiae autem munus et officium hoc iudicavit esse, ut, quantum pro mortalium conditione fieri posset, infinito illi mentis animique desiderio tum novum usque pabulum ac nutrimentum praeberetur, tum veritatis investigatione perpetua satisfieret. Haec igitur philosophiae natura et ratio est, quam Plato animo suo informavit; haec est notio, quam de ea mente sua suscepit; haec denique est sententia, a qua profectus omnem eius disciplinam rationemque condidit et explanavit. De qua quidem re praeclari sunt loci Phaedr. p. 276. A. sqq. p. 278. D. Sympos. p. 204. A. sqq. De Rep. II. p. 375. E. sqq. V. p. 475. C. coll. p. 485. B. Gorg. p. 482. A. sqq. Phaedon. p. 64. A. sqq., quibus collatis unusquisque facile ipse de re gravissima ita edocebitur, ut singulari de ea disputatione non opus videatur.

Atque his utcunque expositis nec illud iam, opinor, difficilem habebit explicationem, quod ad rem praesentem vel maxime pertinet, quale sit philosophandi principium, quod Plato statuerit atque in Phaedro inprimis illustrare constituerit. Enimvero nullo prope negotio intelligitur, tale sapientiae studium atque desiderium, in quo sapiens noster philosophiae initium cerni indicavit, nisi plane vanum et inane futurum sit, certe haec duo quasi sui elementa propria habere oportere, alterum alacrem quendam sensum et appetitum animi, quo veri, boni et pulcri desiderium usque inflammetur atque exsuscitetur; alterum tanquam praesidium quoddam et instrumentum, cuius usu fieri possit, ut nativa ista veri cognoscendi cupiditas saltem aliquatenus satietur atque expleatur. Nam alterum

certe sine altero debile quiddam foret atque mancum, quandoquidem nec nativus ille sensus et quasi appetitus, quo animus ad cognoscendam veritatem fertur et abripitur, per se sufficit, ut veritatis cognitione revera potiamur, nec vero artis usus a sapientiae studio et amore seiunctus quidquam ad scientiae possessionem valere iudicandus est. Hoc igitur nec Platonis acumen praeteriit. Quocirca ille protenus suam de philosophiae fonte ac principio sententiam ita informavit, ut ipsi rei naturae esset accommodatissimum. Statuit enim continuo fontem philosophiae duplicem: nativum mentis animique motum divinitus nobis ingeneratum, quo usque rerum divinarum scientiam et cognitionem infinito quodam cum desiderio expetamus et amplecti gestiamus; atque artem vel facultatem homini item a natura tributam, qua una demum efficiatur, ut ad earum rerum perveniatur cognitionem, quarum cognoscendarum cupiditate animus pro naturae suae indole tamquam captus teneatur. Et illum quidem appetitum philosophus *amorem* nuncupavit, quoniam ad immensam rerum divinarum pulcritudinem referretur eoque nomine amori ad honestatem atque virtutem comparato, qualis in veteri Graecia utique inter viros et adolescentes probabatur, tamquam ex altera parte responderet, praesertim quum ille etiam cum propagandae rerum divinarum cognitionis studio et quasi cupiditate coniunctus esset; artem autem ipsi ministrantem et suppetias ferentem dixit dialecticam, res prima quidem specie inter se multum diversas, revera autem tam arcte iunctas atque copulatas, ut plane unam eandemque rem conficiant, quandoquidem ambae coniunctae omnem philosophandi rationem facultatemque absolvunt. Haec igitur Platonis de ultimo philosophiae fonte ac principio sententia fuit, iis inprimis locis ab ipso prodita, quibus illum divini amoris ardorem ad scientiam et cognitionem veritatis retulit.

Atque hanc ipsam sententiam nostro quidem iudicio peculiari studio in Phaedri opere patefecit et illustravit, quod illo ipso tempore verisimile est ab eo litteris consignatum esse, quo in patriam e longis itineribus redux factus scholas in Academia habere atque sapientiae copias usque ad illud tempus collectas cum aliis liberaliter communicare decreverat. Quod quidem quum aliis argumentis probari possit, de quibus alio loco disputandi occasio erit, tum hoc loco sufficiet unius saltem rei commemoratione confirmavisse. Potest enim res, dummodo diligentius attendatur ad artificium illud, quo philosophus ibi in tractanda disputationis materia usus est, vel e forma libri externa atque partium, quibus constat, compage atque iunctura intelligi. Nam prior quidem pars operis, si summam ipsius spectamus, tres complectitur orationes amatorias (p. 227—257. A. ed. Steph.), ex quibus duae priores vulgaris amoris depingunt rationes, tertia vero, eaque copiosissima maximeque sublimis, divinum amorem ita celebrat, ut omnis eius vis ac natura, adhibitis etiam grandibus quibusdam imaginibus, in illustriore luce collocetur. Posterior autem habet contentionem quasi atque pugnam dialecticae cum arte rhetorica institutam (p. 257. B. — 279.), atque ita compositam, ut denique dialectica superior discedat planeque appareat, rhetoricam ita demum artis laudem adepturam esse, si se suasque res quum omnis omnino philosophiae, tum inprimis dialecticae legibus attemperet iisque per omnia pareat. Haec igitur qui attente consideraverint, ii certe quid rei sit quidve inprimis agatur, non magnopere dubitabunt. Tametsi enim scenicus dialogi ornatus ita comparatus est, ut universa disputatio unice fere ad artis oratoriae censuram spectare videatur, tamen ubi subtilius examinata fuerit omnis dialogi ars et compositio atque materia disputationis pariter atque forma ipsius accuratius explorata, rem aliquanto secus

habere facile apparebit. Nempe subductis quasi rationibus omnibus seduloque perpensis singulis totius quaestionis momentis, denique ita statuamus plane necesse est, ut neque rhetoricae artis censuram neque dialecticae quamvis ipsi oppositae laudem et commendationem primarium operis argumentum esse fateamur, sed illud potius dicamus in eo summum atque ultimum putari oportere, ut interior omnis scientiae atque cognitionis fons atque caussa aperiatur.

Atque haec quidem pro praesentis disputationis consilio satis erunt, opinor, ad dilucidandum nonnihil universum Phaedri argumentum atque consilium. Quae si vere disputata sunt, certe nunc poterit item facilius iudicari, quo iure viri doctissimi ita statuerint, ut omnem dialogi nobilissimi disputationem censuerint ad unam potissimam dialecticae laudem et commendationem referri, ideoque mirabile putaverint, quod non plenior aut perfectior eius imago vel descriptio in libro huic ipsi argumento inprimis destinato exhibeatur. Enimvero tantum abest, ut dialectica una sit, in qua illustranda versatur disputatio, ut universo operi etiam longe maius quiddam atque excelsius propositum esse appareat. Ex quo sponte consequitur, ut Platoni neutiquam ea artis dialecticae descriptio proponenda fuerit, quae speciem et imaginem eius exhiberet omnibus numeris absolutam planeque perfectam atque consummatam.

Sed quum ex his non parum profecisse videamur ad recte aestimandam dialecticae adumbrationem, quae in Phaedro proposita est, tum plus etiam inde lucrabimur, ubi ipsam illam speciem eius atque imaginem considerare instituerimus, quae in hoc libro expressa cernitur, quandoquidem inde quum alia, tum etiam illud intelligere licebit, cur graviores quaedam dialecticae partes, alibi sedulo a Platone explicatae, in illa silentio praetereantur neque ullo modo sint respectatae. Etenim non attinguntur usquam hypotheticae

illae concludendi formulae, quales quum alibi tum aberrime in Parmenide ostentantur; non illustrantur callidae argumentationes, ex artificiosioribus ductae divisionibus, quales regnant per Sophistam et Politicum; non tractantur porro summa notionum genera, quae inde ab Aristotele categoriae appellari consueverunt, sicut in Sophista p. 254. sqq. fit; non denique peculiari opera ostenditur, qua via et ratione ab iis, quae aliunde pendent, tamquam gradibus quibusdam paullatim ad summum omnis scientiae et cognitionis fastigium escendendum sit, de quo item meminimus philosophum alibi disputare diligentius. Imo universae artis tantummodo quasi quaedam lineamenta ducuntur, unde non tam singulos oris vultus, quam universam faciem ipsius cognoscere liceat. Nempe ut paucis dicamus, quid rei sit, propositum philosopho nunc nihil aliud fuit, nisi hoc, ut dialecticam ut artem vere amatoriam informaret, hoc est, ut artem eam, quae divinae sapientiae amori tamquam ministraret atque suppetias ferret. Quo quidem munere illa secundum Platonem utique fungitur, et quidem dupliciter. Nam primum quidem amori illi divino subvenit in comparanda rerum scientia et cognitione, cuius immensa quadam cupiditate animi eorum incensi sunt, qui dediti sunt sapientiae studio (v. Phaedr. p. 250. B. C. D. coll. p. 249. D. E. p. 251. E. p. 254. B.). Deinde eundem etiam adiuvat eo, quod qui tali amore incaluerunt, ii etiam scientiam et sapientiam inter alios propagare cupiunt. Quod enim omni amori proprium est, ut non modo pulcrum appetat, sed etiam pulcrum ex pulcro gignere gestiat, idem Platone iudice etiam in amorem eorum convenit, qui immenso illo divinae sapientiae studio exarserunt. Hi enim non modo in suis ipsorum animis lubentissime sapientiae fetus suscipiunt, ut est Phaedr. p. 249. Q. — 253. E. coll. De Republ. VI. p. 490. B., verum etiam pulcram prolem ex pulcro procreare

cupiunt, sicuti praeclare docetur Sympos. p. 204 — 209. D., ideoque pulcros sermones cum iis miscent, qui sapientiae suscipiendae facultate pollere videntur, maxime cum adolescentibus bona ad virtutem et sapientiam indole instructis, id quod quum alibi tum inprimis Phaedr. p. 250. A. — 253. E. edocemur. Itaque dialectica amori etiam hoc in munere obeundo maxima praestat officia, quandoquidem in dicendo maxima eius vis est adeoque una id efficit, ut vulgaris rhetorica non modo artis laudem consequatur, quae ipsi alioquin eripienda est, verum etiam vera existat ψυχαγωγία (p. 261. A. coll. p. 271. D.), cuius ope conversantium animi ad verae sapientiae laudem ac virtutem instituantur. Hoc igitur est, quod philosophus in describenda dialectica in Phaedro pro consilii sui rationibus maxime respectandum esse iudicavit; in quo nos quidem non iuvenilis inertiae argumentum, sed perfectae artis rationem agnosci oportere arbitramur, praesertim quum vel sic vim eius atque naturam ita designaverit, ut nihil fere desideretur, quod ad declarandam eius praestantiam valeat, omnia autem ita explicaverit, ut cum placitis alibi ab eo illustratis planissime conveniant. Quae quidem cuiusmodi sint, paucis iam ostendisse iuvabit.

Itaque primum quidem necessitudinem dialecticae atque coniunctionem cum amore divino ita demonstrat, ut eius origines ex eodem fonte repetat, ex quo etiam rerum divinarum amor manaverit, hoc est, ex vita animorum divinitus olim una cum diis immortalibus acta. Statuit enim p. 249. B. sqq. coll. cum p. 246. sqq., humanis animis tum veluti sortito obtigisse, ut rerum species atque formas aeternas intueri atque dignoscere possint, id quod illis etiam tamquam privum quiddam atque proprium vindicat. Quod quidem dignum est animadversione diligentissima, quandoquidem ex hoc ipso placito perspicue intelligitur, philosophum, quo tempore haec scripsit,

iam summum artis dialecticae quasi fastigium attigisse. Retulit enim dialecticam non iam more Socratico ad meras mentis humanae notiones, sed potius ad ideas, voluitque illius summum maximumque officium eo contineri, ut amissa vel debilitata rerum divinarum scientia et cognitio, quantum quidem pro mortalium conditione fieri queat, restituatur atque instauretur, id quod item in iis operibus tradidit, quae communi omnium intelligentium iudicio maturiore demum aetate ab ipso condita sunt, ut Phaedon. p. 75. B. — 76. E. Tim. p. 30. B. De Republ. VII. p. 534. B. C. al.

Iam vero cum his etiam illud cognatum est, quod in altera sermonis parte, ubi suscipitur dialecticae cum rhetorica contentio p. 259. E. D. et p. 262. C. dialectico tamquam proprium attribuitur hoc, quod τὰ εἴδη dispiciat atque rerum vim naturamque cognitam habeat. Nimirum pertinet secundum Platonem dialectica ad τὸ ὄν vel τὸ ταὐτόν, estque plane ἡ περὶ τὸ ὂν καὶ τὸ ὄντως καὶ τὸ κατὰ ταὐτὸν ἀεὶ πεφυκὸς ἐπιστήμη, ut ipse ait Phileb. p. 58. A. quandoquidem ipsi propositum est vim ac naturam rerum in se spectatam (οὐσίαν) mentis notione informare, a rerum sensibus subiectarum animadversione abductam illam atque remotam: de qua re v. De Republ. VI. p. 511. B., VII. p. 532. A. X. p. 596. A. Sophist. p. 218. C. Quamobrem prudentissime eo quo diximus loco docetur, ad dicendi laudem ante omnia requiri veritatis scientiam, sine qua ne ea quidem rhetorica, quae verisimilitudinis speciem consectetur, ullo modo consistere possit, eoque modo ostenditur, quantum dialectica non modo rhetoricae antecellat, sed etiam ad artis oratoriae laudem valeat. Quod quidem etiam antea illustri exemplo declaratum est, quandoquidem Socrates in posteriore, quam recitavit, oratione p. 237. C. ad bene dicendum indicat inprimis necessariam esse veri scientiam, quamquam vulgus hominum

eam negligere soleat. Apparet igitur nec in hac parte mancam esse aut imperfectam dialecticae designationem, qualis in Phaedro exhibita est, adeoque ea omnia referri, quae Platoni hoc in genere ad summam philosophiae perfectionem necessaria visa sunt.

Praeterea vero etiam via atque ratio depingitur, quam ars nobilissima, isto modo informata, in exsequendo munere suo ingredi soleat aut debeat. Proprium enim ipsi hoc esse docetur, ut rerum genera et formas rite secernat, distinguat, iungat, copulet, eoque modo efficiat, ut rei cujusque natura quam accuratissime investigetur, exploretur, cognoscatur et intelligatur. Quod quidem data opportunitate locis fit compluribus, uberrime autem p. 265. D. sqq. quandoquidem ea res ad cognoscendum pariter atque ad dicendum longe gravissimâ censetur. Nam ibi posteaquam Lysias reprehensus est, quod in oratione sua neque rem, de qua verba facienda essent, definiverit neque iustum ordinem rerum ac sententiarum servaverit (p. 264. E. sqq.), caussam utriusque vitii omninoque omnis inertiae, quae in ipso notari possit, in eo quaerendam esse docetur, quod orator non teneat artem notiones vel conjungendi vel dividendi, qua una maxime dialectica contineatur. Describuntur igitur iam celeberrimae illae διαιρέσεις et συναγωγαί, *disiunctiones* et *conductiones*, quarum vim Plato tantam iudicavit esse, ut sine iis nec verum falsumve diiudicari nec cerni consequentia nec repugnantia animadverti aut ambigua distingui posse existimaverit (p. 265. D — 266. C.). Duplex, inquit Socrates, artis ratio est, quae in cognoscendis iudicandisque rebus plurimum valet. Primum enim ita fieri potest, ut quis ad unam speciem et formam, quam quidem cognitam perspectamque habeat, referat et conducat quae multifariam dispersa sunt, ita quidem, ut definiendo declaret ac palam faciat, quidnam illud sit, de quo dicere animum induxerit. Verum

suppetit etiam alia via et ratio eaque huic prope contraria. Quae quidem locum habet, si quis illud, quod in unum coniunctum est, rursus secundum species atque formas disiungit et articulatim dividit nec vero malorum coquorum more temere diffringit. Cuius dividendi rationis exemplum supra proposuimus, quum enumerabantur varia furoris genera, usque dum denique ad divinum furorem ventum esset. Nimirum sunt sane hae divisiones et conductiones ad cogitandum pariter atque ad dicendum plane necessariae, ac si quis potest *unum* et *multa*, ἓν καὶ πολλά, i. e. genera et partes, recte discernere, is merito habebitur *dialecticus* atque adeo sapiens vere divinus. Haec igitur ibi Socrates; quae manifestum est tam ad definiendi subtilitatem quam ad dividendi atque coniungendi itemque ad argumentandi sollertiam pertinere adeoque ad rationem disserendi syntheticam et analyticam patefaciendam comparata esse. Cum his autem praeceptionibus sanequam gravibus et ad philosophandum maxime necessariis planissime conveniunt quae etiam in aliis Platonis libris de iisdem dialecticae partibus ita traduntur, ut indidem facile appareat, philosophum quum haec scripsit, iam omnem artis dialecticae vim mente animoque suo comprehensam tenuisse. Nam contendat mihi aliquis cum istis quae disputantur Phileb. p. 16. D. sqq. p. 57. E. 59. B. O. Politic. p. 285. A. sqq. Sophist. p. 253. B. D. E. p. 254. D. sqq. Theaet. p. 146. E. Parm. p. 135. D. 136. D. Cratyl. p. 390. C. De Republ. V. p. 454. A. VI. p. 511. B. VII. p. 532. B. — D. p. 533. C. p. 534. E. Symp. p. 209. B. sqq., qui sunt fere loci de his rebus primarii, ac facile reperiet ea, quae in Phaedro sunt exposita, his neque subtilitate neque perspicuitate ullo modo concedere, modo meminerimus, philosophum more suo easdem res pro consilii sui diversitate aliis locis aliter exposuisse. Quamquam id eo fecit modo, ut neutiquam secum ipso

pugnaverit. Sed nolumus nunc in hac re dilucidanda morari diutius; satis erit monuisse, etiam in Phaedro disputationem de hisce dialecticae locis institutam prudentissime primario libri consilio accommodatam ac veluti attemperatam esse, idque ea artis moderatione fieri, ut rerum ipsarum explicatio omnia referat perfectae excultaeque philosophiae signa et argumenta. Pergimus ad aliud quid.

Etenim censet etiam philosophus quum in omni caussa tum inprimis etiam in eloquentia cum formarum atque generum pervestigatione universae naturae rationem ita coniungendam esse, ut singularum rerum nexus et cohaerentia cum rerum universitate ob oculos habeatur. De qua quidem re exponitur, ubi sermo delatus est ad quaestionem de persuasione in audientium animis efficienda deque artificiis ad eam rem conducibilibus. Etenim ibi posteaquam disputatione venustissima atque multis festivitatis et urbanitatis salibus condita demonstratum est, artes rhetorum hoc in genere tam esse inertes, ut ne pertineant quidem ad artem (p. 261. C.—269. C.), Socrates Periclis potius exemplum intuendum censet, qui orator fuerit perfectissimus. Qua quidem opportunitate haec fere disputat. Omnes artes, inquit, graviores atque dignitate sua conspicuae rebus suis adhibeant necesse est sublimiorem philosophiae quaestionem ac perscrutationem naturae, unde magnificum illud atque efficax nascitur, quod etiam eloquentiae debet esse propositum. Hoc vero quum Pericles acute perspexisset, praeclarae ingenii indoli, qua ornatus fuit, adiungendam statuit doctrinae et rationis conformationem. Itaque quum incidisset in Anaxagoram, subtilem et acutum talium rerum scrutatorem, istiusmodi quaestionibus et meditationibus adsuefactus et ad naturam mentis et amentiae cognoscendam delatus, in qua scilicet exquirenda etiam Anaxogoras versabatur, fecit sane quod ad eloquentiam plurimum valere iudicari debet. Traduxit enim ex

philosophia Anaxagorae quaecunque ad artem oratoriam colendam exercendamque maxime viderentur esse utilia. Est enim artis oratoriae plane eadem ratio, quae est artis medicae. In utraque enim necesse est naturam cognitam habeas, quandoquidem ars medica corporis, ars oratoria animi requirit notitiam. Nam hac si quis careat, is certe minime ex arte aget, sed mero usu sine ratione collecto corpori quidem medicamentis sanitatem, animo autem orationibus persuasionem afferre conabitur. Quo certe nihil fingi cogitarique potest, quod magis sit miserum et calamitosum. Iam vero animi naturam quis quaeso est qui sibi persuadeat sine universi cognitione perspici aut intelligi posse? Nimirum Hippocrate quidem indice ne corpus quidem sine ea satis cognosci potest, ut sponte intelligatur, eandem etiam multo magis ad animi cognitionem necessariam esse. Ex quibus omnibus apparet profecto clarissime, ad consequendam eloquentiae laudem etiam propterea philosophiae studium requiri, quod eo neglecto nemo quisquam sibi interiorem mentis animique notitiam comparare poterit, qualis ad efficiendam persuasionem omnino est necessaria. Haec igitur Plato de philosophiae cum eloquentiae studio coniungendae necessitate. Quae quidem ubi accuratius perpenderimus, hoc quoque luculentum quoddam dialecticae ad maiorem perfectionem excultae documentum esse facile largiemur. Verissime enim *Frid. Astius* in egregio opere: *De Vita et Scriptis Platonis* p. 106. „*Vor allem zu beachten ist die dem Platon eigenthümliche, ächt speculative Beziehung des Einzelnen oder Endlichen auf das Ganze, Unendliche, wie z. B. der menschlichen Seele auf das Wesen der Seele an sich, also die höhere, umfassendere Ansicht des Universums, wie wir sie vorzüglich im Timaeus* (p. 37. B. p. 47. B. C.) *wiederfinden.*“ Nimirum eam rationem utique in iis tantum Platonis libris reperias, qui profundioris

philosophiae laudibus insignes sunt. Itaque in Politico p. 274. A. sqq. vitae humanae mutationes ac vicissitudines referuntur ad fortunam et conditionem totius rerum universitatis. Simile quid porro in Symposio animadvertere licet, ubi p. 185. C. sqq. Eryximachus medicus amoris vim ac potentiam docet per omnem rerum universitatem dominari. Nec abludunt quae in Philebo de summo bono disseruntur. Ibi enim quum alia similiter disputantur, tum extrema dialogi parte, quodnam summum vitae humanae bonum sit, ita disquiritur, ut iudicium rei a rerum universitate repetatur. Pariter in Timaeo anima humana ex iisdem elementis atque numeris, quibus anima mundana, condita esse indicatur. In libris autem de Republica vulgo inscriptis homo atque civitas ita iuxta se ponuntur, ut homo civitatis ac vicissim civitas hominis imaginem referat. Enimvero Plato quum genera atque partes arctissima necessitudine inter se cohaerere animadvertisset, tum ne in ipsis quidem rebus censuit quidquam esse, quod videri posset solitarium aut ab universi communione disiunctum ac separatum. Quamobrem in rebus magnis atque gravibus exquirendis vel iudicandis, ubi ad altius quoddam sapientiae fastigium escenderet, subinde ea usus est disserendi ratione, ut earum nexum et copulationem cum toto vel universo respectaverit indeque propositae quaestionis iudicium arcessiverit. Quod ipsum etiam in Phaedro ea ratione fecit, ut id merito luculentum quoddam artis atque facultatis dialecticae in hoc libro expromtae argumentum ac testimonium ducendum videatur.

Sed satis de his. Properamus iam ad alia, quae cum his proxime coniuncta sunt. Etenim quam supra iam illustravit scriptor dialecticae partem de divisionibus generum et conductionibus formarum, eam postea quoque rursus ad partes vocat, quandoquidem p. 270. C. — 272. B. ostendit, ei, qui alios movere velit, nihil prius curandum

esse, quam ut et varia animorum genera variosque ipsorum affectus pernoscat et vero etiam varia orationis genera in numerato habeat, quae animis varie moratis adhiberi queant. Qua quidem ratione uberius etiam declaratur usus, quem dialectica tamquam ars amatoria in arte dicendi habeat, ut facile appareat hanc quoque disputationis partem universae scriptionis consilio prudentissime esse attemperatam.

Iam vero explosis rursus rhetorum artibus, qui hic quoque turpiter peccare arguuntur, denique dialecticae virtus ac praestantia etiam alio nomine illustratur. Docetur enim, quantum ea etiam in docendo, sermocinando, scribendo denique valeat. Etenim vivam oris institutionem ostenditur scriptioni longissime anteponendam esse propterea, quod in animis colloquentium vel audientium veluti vivos et immortales verae sapientiae fetus gignere soleat, ut etiam scriptio ea maxime probanda videatur, quae quum admonitionis gratia suscipiatur, tum ad vivi sermonis similitudinem et philosophiae leges quam diligentissime comparata sit. De quibus rebus longo et copioso sermone exponitur inde a. p. 274. C. sqq. usque ad exitum dialogi. Qui quidem locus quum habeat, quae accuratiorem sibi deposcant dilucidationem, quam quae huius libelli angustiis concludi possit, satis erit argumentum eius hic paucis retulisse; disputabimus enim de eo copiosius alio tempore. Apparet autem vel ex iis, quae memoravimus, haec quoque pertinere eo, ut dialectica tamquam ars amatoria informetur atque describatur; id quod nemo temere dubitaverit, qui comparaverit paullisper ea, quae Socrates in posteriore oratione sua amatoria p. 249. C. sqq. de amatore philosopho exponit. Est enim hic profecto secundum eius sententiam non alius, quam dialecticus, qui acerrimo incensus est divinae veritatis studio, ideoque etiam divino amore inflammatus atque agitatus perpetuo id agit,

ut veri scientia sermocinando, colloquendo, quaerendo, disserendo denique usque augeatur, iuvetur, propagetur, eoque modo in animis aliorum verae sapientiae fetus procreentur atque educantur. De quo quidem amatoris philosophi studio etiam Sympos. p. 204. sqq. usque ad p. 209. D. ita explicatur, ut inde Phaedro non exigua lux accedat.

En, habes iam, quae in Phaedro variis locis et prouti tulit artificiosa dialogi conformatio veluti sparsim de dialectica exposita sunt, in unum collata, ut tandem certius indicari queat, quid de omni hac philosophi doctrina in hoc libro explicata existimari debeat. Quid igitur? putabimusne ea ita comparata esse, ut iuvenilem inertiam arguant neque maturioris aetatis prudentia ac sapientia digna sint? Nimirum libere fatemur nos quidem istud criticorum iudicium minime comprobare. Est enim artis dialecticae descriptio in Phaedro proposita ad tantam perfectionem elaborata, ut potius assentiendum *Heusdio* videatur Init. Phil. Platon. Vol. II. P. II. p. 76. in hoc libro iudicanti paene totam philosophi rationem declaratam esse. Nam est illa profecto tam elegans tamque prudenter universi operis consilio accommodata, ut ipsam facile appareat non a tirone parum exercitato, sed a perfecto philosophandi artifice proficisci potuisse. Habet ea porro etiam tam insignem subtilitatem tantamque acumininis virtutem, ut facile suspicari liceat, scripta ista esse a philosopho, quo tempore iam summa quaeque in philosophia non sequutus sed assequutus fuerit. Denique etiam vere affirmare licebit, esse eam quum copia et ubertate tum subtilitate et elegantia sua adeo conspicuam, ut nusquam apud Platonem de hac philosophiae parte plenius aut accuratius disseratur, adeoque ea, quae alibi apud ipsum de his rebus leguntur, inde tamquam a suis principiis repeti possint atque lucem suam accipiant. Ex quibus

omnibus iure nostro videmur concludere, nullo pacto ex iis, quae de dialectica in Phaedro disputata sunt, demonstrari, imo ne coniici quidem recte posse, libri origines ad philosophi iuventutem referri oportere. Neque vero illud nos ullo modo movet, quod *Schleiermacherus* arbitratur, regnare per sermonem singularem quandam protervitatem et petulantiam, coniunctam illam cum fastuosa novorum inventorum iactatione. Nam huic viri acutissimi iudicio si quid omnino veri subest, certe non licet de arrogantia vel iactantia iuvenilis dialectici cogitare, qualem Plato ipse festivissime describit Phileb. p. 15. D. E. Imo res multo aliter iudicanda videtur. Nam ostendit philosophus sane maximam esse dialecticae vim et potentiam quum in omni rerum cognitione tum inprimis etiam in ornanda atque emendanda arte rhetorica. Sed hoc dum ita facit, certe non iactat inaniter aut fastuose ostentat novam sapientiam, sed quanta sit dialecticae praestantia, graviter docet; id quod profecto nec a philosophi adultioris persona ullo modo alienum est. Quod autem in ea re etiam usus est faceta urbanaque irrisione inprimisque rhetorum inertiam castigavit, id neutiquam pro temerariae arrogantiae argumento ducendum est, sed longe aliis caussis et rationibus nititur. Nam primum quidem ipsum libri argumentum ita tulit, ut totus fere sermo venustae irrisionis salibus perspergeretur; de qua re iam in Commentat. *De arte rhetorica etc. p. 10. sq.* monuimus. Deinde etiam tempora illa, quibus nostra sententia librum scriptum esse verisimile est, prope necessitate quadam effecerunt, ut philosophus hac ratione uteretur. Ceperat enim tum id consilii, ut in Academia philosophiae copias explicaret atque scholis habendis alios ad eius rationes institueret. Quid igitur magis est consentaneum, quam ipsum tum oppugnasse quae rationibus suis officere viderentur? Obstabant autem rhetorica studia, quae inde a Gorgiae

et Antiphontis aetate Athenis mirum quantum celebrabantur. Obstabat ipsorum rhetorum fastus et arrogantia, qui artibus suis inanibus mirifice superbiebant. Obstabat denique philosophiae contemtio, quae illo tempore tanto magis neglecta iacebat, quanto insolentius studia ista rhetorica sese iactabant. Itaque philosophus generosa indignatione pariter atque nobili quadam superbia elatus philosophiae, inprimisque dialecticae, vim naturamque ita declarare et patefacere apud animum constituit, ut simul ipsius adversarios et contemtores, maximeque Lysianae disciplinae alumnos una cum sene ipsorum principe, acerbo sale perfricaret, eoque modo philosophiam a contemtu, in quem immerito incidisset, aliquando vindicaret.

Sed satis haec de dialectica doctrina in Phaedro exposita. Quam si probabiliter exploravimus, certe etiam futurum esse sperare licet, ut nonnihil saltem ad meliorem totius operis intelligentiam contulisse videamur. Pergimus nunc ad aliud quid, quod criticis illis, de quibus supra memoravimus, item dialecticae nomine magnae fuit offensioni. Censuerunt enim illi etiam usum et exercitationem artis disserendi in hoc libro minus esse subtilem, adeoque tantam arguere inertiam, ut iure inde suspicari liceat, Platonem, quo tempore hunc sermonem elaboraverit, nondum ad eam disserendi facultatem fuisse exercitatum, quam postea consecutus sit. Ex quo item effici arbitrantur, ut Phaedrus pro iuvenili Platonis opere habendus sit. Quod quidem virorum egregiorum iudicium num qua probari possit an vero improbari debeat, quam brevissime exposuisse iuvabit, quandoquidem veremur, ne, si hic quoque longius exspatiari velimus, facile futurum sit, ut legentium patientia abusi esse videamur. Itaque rem controversam paucis expedivisse satius fuerit.

Et illud quidem facile largimur, in iis libri partibus, quae tres

